

eo perrexit, et impetrata licentia cum eo loquendi, viro dimisso ejus loco in carcere remansit, tandem et ipsa laudata a rege dimissa est, Jo. Vaseo auct. in chron. Hisp. ad an. 932. Vicissim agricola Lentiscolnensis in regno Neap. cum domo absens uxorem perdidisset, et procul navim piraticam in anchoris hærentem vidisset, ratus in ea esse uxorem, adnavavit, et se concaptivum ultra propter uxorem ad triremes tradidit, mirantibus barbaris. Unde in Africam abductus, propter eam fidem a Tunetensium rege libertati est restitutus, Fulg. l. IV. cg. VII. Cæterum in hoc amore mutuam sibi vicem reddant, et alter alterum vincere studeat. Non ita egit mulier illa viro suo ingrata, de qua B. Petrus Damiani, ep. XV. ad Alexandrum Pp. l. I. epist. ait: « Novi plane virum, dum illatam uxori ulcisci conatur injuriam, gladiis interemptum, quæ tamen ad secundas migrasse nuptias dicitur, antequam anni circulus impleretur. »

II. Honore, ut alter alterum magis, quam se honoret. Docet id S. Petrus, ep. I. cap. III. viros quidem, dum ait: *Viri similiter cohabitantes, secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri honorem impartientes, tamquam cohæredibus gratia vitæ.* Uxores vero dum præmittit exemplum Saræ, quæ Abrahamum, maritum appellabat *dominum suum*; qui vicissim uxorem appellavit *dominam suam*: Sarai enim idem est, quod *domina mea*. Ei etiam honorem exhibuit, ut ad ejus petitionem mox eliceret ancillam, quæ dominæ illudebat. Bene autem ratiocinatur S. Petrus, uxorem a viro honorandam tamquam infirmius vasculum et tamquam cohæredem gratiæ vitæ: nam vasa crystallina et vitrea cautius tractamus, quam argentea, quia fragiliora, etsi viliora. Et quia cæli cohæredes sunt, forte ad altiores coronas et sedes evehendæ. Hanc ob causam Deus aliquot prærogativis honoravit virum, aliquot et mulierem in creatione. Adam prior formatus est, sed ex pulvere: Eva ex costa viri. Adam viribus sapientia et imperio superior, sed extra paradisum formatus est: Eva intra ipsum Adamo Eva adducta, non e contra; sed Eva singulari decore ornata et ædificata fuit.

Vultis hujus certaminis exemplum? Joseph, ut audivimus ante octiduum, honorem detulit conjugi suæ Mariæ dum non ipse repertum alioqui filium voluit, sed eum honorem conjugi, velut soli veræ parenti permisit. Vicissim Deipara in ea collocaione sponsum sibi præfert, dicens: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

Hunc porro honorem imprimis sibi invicem exhibeant in usu matrimonii, ut indicat S. Pe-

trus, cohabitando secundum scientiam, ut ne alteruter impediatur in oratione, devotione, communione, ut honestas servetur ac verecundia, ne alteri contumelia inferatur.

Deinde, ne indecoris nominibus se dehonestent, multo minus verberibus. Hoc enim parum imprimis honorificum viro, qui in vas fragile iram suam exerit. Sunt enim mulieres natura sua timidæ, verecundæ, pusillanimes: quare eis parcendum est, non secus ac generosi canes parcunt catellis, etiam sibi oblatrantibus. Deinde: *Qui uxorem suam diligit, semetipsum diligit*, ait apostolus ad Ephes. V. ergo qui eam indigne tractat verbis aut verberibus, seipsum cædit: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit*, addit apostolus. Insanus habetur, qui seipsum pugnis verberat ex iracundia, uti fecit obsessus ille Marci V. *Seipsum lapidibus concidens*, vel qui proprias fenestras aut fornacem domi suæ confringit. Nihil plus sapit, qui in uxorem suam exerit virus suum. Ludovicus Crassus Galliæ rex Richardam conjugem castissimam appellavit adulteram; quod cum probari nequiret, ab omnibus desertus, et demum victum emendicare ab Arnolpho Bavaro coactus est, ut dixi alibi.

III. Patientia et supportatione mutua. Si enim apostolus ad Ephes. IV. omnibus Christianis præcepit: *Cum patientia supportantes invicem*, et ad Gal. VI. *Alter alterius onera portate*, multo magis conjugibus, eidem jugo alligatis. Sic enim videmus boves sub eodem jugo, uno cadente vel ad quietem procumbente, sistere vel etiam procumbere in ejus gratiam alterum. Unde S. Chrysost. hom. XXVI. in I. ad Cor. ait: « Quod si invicem onera ferenda sunt, multo magis uxoris. Et si pauper sit, noli exprobrare; et si stulta, noli ei insultare; sed esto modestior, etiam tuum membrum est, et caro una facti estis. Sed stulta est, ebria, iracunda. Igitur dolendum est, non irascendum, et Deo supplicandum et ipsa admonenda est et adjuvanda consilio, etc. » Quod si alter infirmus est, vel senio confectus, certent inter se patientia, ut infirmus quidem aut senex patientissime ferat molestiam suam, et conjugis defectus seu neglectus: alter vero sanus cum patientia sustineat ac sublevet infirmi miseriam et impatientiam; siquidem et in brutis hujusmodi amorem cernere est. Alcyon, marina avis conjugi semper adhæret, eumque jam annis gravem et ægre sequentem fovet, nusquam destituens, quin et dorso impositum gestat, teste Plutarcho, in comment. de solertia animalium. Idem præstitit marito suo Guelpho Bavaricæ duci uxor, cum ex obsessa urbe in dorso eum suo extulit, ut dixi alibi. Placet hoc impri-

mis Deo, nam ita dicitur Eccl. XXV. *In tribus placitum est spiritui meo: concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes*; Græce: *Mutuo una circumferentes*. Spectabilis in hoc etiam fuit uxor Eduardi Anglorum regis filii: qui cum itinere ad s. sepulchrum suscepto insanabilem plagam venenato Mauri gladio inflictam accepisset, et conjugem Hispaniarum regis filia, manantem quotidie ex ulcere mariti purulentum humoremangebatur, solius amoris melle conditum: unde illi sanitatem, sibi immortalem ex amore conjugali gloriam peperit, ut ait Caussinus, l. VI. symb. ex Rod. Sanct. p. CI. Hisp. IV. Similiter cum alter durus, asper, capitosus aut ferox est; vincat illum alter patientia, silentio et mansuetudine. Sic vicit S. Monica virum suum Patricium immitem valde asperum. Nam et mitigavit et ad veram fidem perduxit, ut habet S. August. l. IX. conf. c. IX.

IV. Pietate et probitate. Videre erat hoc certamen inter S. Joachim et Annam, parentes Deiparæ, quorum ille precabatur foris in monte, velut pastor: hæc vero domi in horto suo, ut scribit S. Epiphanius, ser. de laudibus B. V. Ita inter se certarunt B. Borgias dux Gandiæ (postea societatis nostræ generalis) et Leonora conjugum. Cum enim ipsa simpliciore veste uteretur, interrogata, de hoc a nobilissima quadam matrona, respondit: *Mene byssinis, sericis aut purpureis indui vis, cum Dominum meum (Borgiam maritum) cilicium gestare sciam?* Ribad. in vita Borg. l. I. c. XII.

Eodem spectat si inter se contendat, ut alter alterutrum instruat ignorantem, errantem, reducat et lucretur Deo. Ita S. Cæcilia ad fidem perduxit sponsum Valerianum, Clotildis Clodovæum Francorum regem; ad castitatem servandam, Delphina S. Elzearium comitem Ariani, et alii plures. Rursum correxit Job et Tobias uxorem: Abigail virum suum Nabal, cum deflecterent ab æquo et recto.

Male e contra agunt, qui dissimulant peccata conjugum præsertim cum id faciunt, ut ipsi liberius peccent, uti Ottocarus Bohemiæ rex, qui de conjugis impudicitia monitus: *Lex naturæ est*, inquit, *cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent*, quasi violante ipse fidem conjugalem, liceat eandem violare uxori, Æn. Sylv. l. III. comment. de reb. Alph. Perinax imperator perditæ amavit Cornificiam, nec curavit, quod ejus uxor Livia adamaret publice quemdam cithæcedum, apud Cuspinian. At hoc nihil aliud est quam contendere, uter conjugum prior eat ad infernum, et alterum secum trahat. Pii et christiani conjuges certent inter se amore, honore, patien-

tia, pietate. Sic exhibebunt jucundum Deo spectaculum, in quo qui vicerit, dabitur ei edere de ligno vitæ, Apoc. II.

## CONCIO V.

NUPTIÆ QUI CELEBRANDE EX ANTIQUIS RITIBUS.

I. Matrimonium incipiendum oratione. — II. Absque luxu vestium immoderato. — III. Mutuum sibi honorem deferant. — IV. Pura intentione contrahant. — V. Consensu spontaneo. — VI. Ad extraneos oculum non adjiciant. — VII. Non otium, sed ad laborem. — VIII. In facie Ecclesiæ contrahant. — IX. Sint virtute præditi. — X. Cum amore mutuo. — XI. Cum fide et custodia thori. — XII. Cum collata potestate administrationis. — XIII. Cum uxoris sublevamine. — XIV. Cum mutua assistentia in omni fortuna. — XV. Cum abdicatione nugarum et rerum puerilium.

THEMA.

*Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Joan. II.

Experimur, auditores, subinde fieri nuptias parum felices in quibus deest vinum consolationis et amoris: neque aliud bibitur nisi aqua lacrymarum, gemituum, miseriarum, desolationum. Causa fere unica est, quia in suas nuptias incauti irruerunt. Quid igitur his remedii? Fierine potest, ut ex aqua vinum pro istis faciamus? Quid tentare nocet? Ritus nuptiarum, gentilibus consueti, non nisi aqua erant, insulsa et insipida, quia superstitiosi. Attamen et aqua potus est ac sitim sedat. Ritus illi gentilium, præsertim Romanorum, ex ratione et naturæ lumine deprompti fuerunt, ita ut desponsatis lumen aliquod accenderent, qui suas instituere nuptias deberent. Nos ergo aquam istam insipidam convertamus in bonum vinum, in doctrinam christianam, sanctam et salutarem. Neque est, quod nobis aliquid hæc succenseat; scimus enim et Moysem aurum, argentum et vestimenta, quæ Hebræi ab Ægyptiis mutuo acceperunt, et secum inde extulerunt, Exod. X. usurpasse, et inde Domino tabernaculum fabricasse, ut observat B. Petrus Damiani, in serm. de S. Eulechadio. Ergo gustemus aquam gentium, et vinum inde hauriamus.

I. Apud gentiles primo, nuptiæ non nisi prius captatis auguriis fiebant, teste Val. Max. lib. II. cap. I. Fuerunt illa auguria mera superstitio, ex avium cantu aut volatu stultissime desumpta. Viderunt tamen antiqui statum matrimonii velut admodum difficilem non sine afflatu numinis inchoandum esse. Id quod multo magis

neesse in matrimonio Christianorum, quod est unius cum una indissolubilis conjunctio, quæ sane Dei gratia indiget. Vidit hoc imprimis Isaac, qui dum expectaret sponsam sibi adducendam, egressus est *ad meditandum in agro*, Gen. XXIV. Chal. *ad orandum in agro*. Nimirum sanctus et prudens juvenis firmum matrimonii fundamentum jacturus, auspicandum sibi putavit ab oratione, non a convivio, lusibus, choreis, tibiis, obscenitatibus, ut faciunt multi. Et bene in agro voluit orare; quia intellexit matrimonii incrementum ac successum bonum non secus ac seminis in agrum jacti, a Deo expectandum. Unde Theodoretus, in I. Reg. I. de Annæ illius benedictione ab Heli sacerdote accepta ait: «Agricolæ est proprium semina dejicere, Dei autem dejecta perficere. Ita matrimonii quidem est propria conjunctio: Dei autem est proprium annuere naturæ ut effingat et formet animal. Hoc cum aperte sciret Anna (nam longo tempore cum viro habitans fructum non produxit) confugit ad opificem, et intensa oratione et lacrymis mutilatam curavit matricem, et clausam aperuit.» Et paulo post: «Pontificalem assecuta est benedictionem. Audivit enim: Vade in pace: Dominus Deus Israel det tibi omnem petitionem tuam.» Certe etiam Isaac per viginti annos sterilem habuit conjugem; postquam vero deprecatus est Dominum, et quidem, ut vult S. Chrysostomus, totis illis viginti annis, tum primum accepit proles, Gen. XXV. Quibus periculosum iter agendum est, illi non fiducines et scurras vocant, sed anxie se Deo commendant. At quis nescit quam periculosum iter sit conjugium? Deo igitur auspice ineundum est.

II. Hasta, quæ in corpore gladiatoris occisi steteret, nubentis caput comebatur, ut tradit Sextus Pompeius, apud auct. antiq. Rom. l. V. c. XXXVII. Causam quærit Plut. in quæst. Rom. q. LXXXVII. «Cur nuptiarum comam, inquit, discriminans hastæ cuspidem? Monentur nuptæ, quia bellicosius jungantur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici, et a luxu ac mollitie alieno, quemadmodum Lycurgus fores et vestibula ædium jubens serra et securi, nullo alio adhibito instrumento, fabricari, omnem luxum supervacaneamque operam præcedit.» Præclarum hoc gentilium documentum, utinam Christiani observarent. At modo communiter in nuptialium vestium luxum tantæ impensæ et excessus fiunt, ut quandoque media pars dotis in eum insumatur, maximo nubentiam damno, quod postea primum sentiunt, cum solvere coguntur non absque difficultate, ipsisque nuptiarum vestibus vix amplius utuntur. Hasta igitur, non eburneo pec-

tine coma discriminetur, hoc est, simplici, non fastuoso: sed honesto tamen habitu, qui virtutem spiret, non superbiam, nuptiæ condecorentur. Hoc sit vestibulum conjugii, simplex et rectum.

Sed cur hasta illa in corpore occisi stare debuit? An ut inchoantibus conjugium memoria mortis, qua iterum se jungentur, in mentem reducatur, et ita vinum deliciarum conjugialium, mortis quasi aquæ admixtione temperetur, ne in perniciem cedat? Ita mihi videtur. Audio enim et in regno Mogor novos conjuges (non Christianos, sed gentiles) instante nuptiarum die, prius sepulcra obire, reserare, seduloque contemplari, ut ita finem vitæ suæ expendant, priusquam liberis vitæ initium dent, ut scribit Hieron. *Rever.* in lit. annuis, anno 1598.

III. Corona redimiri nova nupta a sponso et vicissim sponsus a sponsa solebant, teste Tertulliano, de cor. mil. Id quod etiam nunc fieri consuevit, et cur nisi ut hoc symbolo mutuum sibi honorem et jam deferant, et in posterum deferendum polliceantur? Meminerit sponsus Evam Dei manu ædificatam, et Adamo fuisse adductam, velut a paranymphe; meminerit sponsa Adamum formatum a Deo ante Evam nec Adamum adductum ad Evam, sed contra, Evam ad Adamum velut ad caput suum. Cogitet ergo sponsus se non ducere uxorem, quæ sit ejus mancipium et ancilla; sed velut soror, ut eam vocat Tobias junior, et sponsus in Cantico, seu ut manus altera, et *adjutorium simile sibi*: simile, inquam, sibi et ejusdem naturæ. Unde apud Romanos pro sceleratis habebantur, non solum qui deorum templa violassent, sed etiam qui violentas manus uxoribus intulissent, teste Alexandro, lib. IV. cap. VIII.

IV. Tunica etiam recta induebantur, qualem prima Caia Cæcilia texit, teste Plinio, lib. VIII. c. XLVIII. Quid hæc nisi recta et cura intentio in contrahendo matrimonio; recta vero est, quam habuit et exponit junior Tobias, cap. VIII. his verbis: *Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem; sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Qui hanc intentionem non habent, sed voluptatem, opes aut honores quærunt, non rectam, sed plicatam tunicam habent, et sicut vestium plicæ gignunt scissuras, ita distorta intentio gignit discordias et miserum conjugium, infelicemque exitum; quod testatur Raphael Angelus Tobie, c. VI. *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et mente sua excludant, et suæ libidini vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Et habuit

sane super septem viros Sara; quia velut muli prava intentione eam acceperant, ut ibi insinuatur, et docet experientia, maleficia libidinis sæpius nocere quam aliis peccatoribus.

Intellexerunt etiam gentiles rectam illam matrimonii intentionem, et approbarunt. Scribit enim Plato, l. VI. de legibus, idcirco ineunda matrimonia, ut relinquat quis liberos, qui *Deo serviant pro se*. Et paulo post: *Oportet parentes gignere et educare liberos, qui vitam tamquam lampadem posteris tradant ut sint semper Deum colentes juxta legem.*

V. Cingulo ex lana ovis facto cingebatur nupta, teste Sex. Pompeio citato. Cingulum consensus est, necessarius ad sponsum vel sponsam acceptandam, etsi tradendam. Id non ex corio boum, aliorumve animalium, sed ex lana ovis textum esse debet; liber, inquam, et spontaneus consensus. Solæ enim oves hoc habent, ut sponte sequantur pastorem, educentem eas ad pascua, vel in caulæm reducentem: reliqua pecora agi et compelli scutica debent. Nemo ergo ad nuptias trahatur aut compellatur seu vi seu dolo: quia matrimonium servitus quædam est, et dura quidem, quam sola mors solvit: homo autem natura sua liber est, non solum secundum animum, sed etiam secundum eam quæ ad naturam corporis pertinet, ut docet Sanctus Thomas, 2-2. quæst. CIV. art. V. «Quod omnes homines natura sua pares sunt, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem et proles generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire in matrimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo hujusmodi. Sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum et rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundum rationem superioritatis.»

VI. Velo novæ nuptæ operiebant vultum, cum ad virum deducerentur: idque *flammeum* appellabatur, teste Tertulliano lib. de virg. veland. eratque præcipuum sponsarum insigne; unde nubere dicebantur a nubibus secundum aliquos, quæ cœli amœnitatem nobis velant. Servatur etiam hic mos adhuc in Italia, ut quo tempore aliqua desponsata manet, non nisi velata facie incedat. Et cur hoc, nisi ut demonstret sponsa, se jam nemini alteri, nisi sponso suo parere ac placere velle? Quando quis mercator merces suas vendidit, claudit officinam, quam soli emptori aperit. Pari modo, cum se virgo alteri despondit, jam non aliis se conspicuam facit aut familiarem, quia alteri se devovit. Dicat de suo sponso, quod sponsa illa Cantico. 11. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna*

*silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Omnes alii juvenes ac viri sint sponsæ contemptui, veluti si essent arbores silvestres, sponsus solus sit malus. Omnes aliæ mulieres sint sponso velut spinæ, sola sponsa sit rosa et lilium.

VII. Cum in domum sponsi duceretur, præferbatur ei colus et fustum, teste Plut. in quæst. Rom. q. XXXI. quo nimirum intelligeretur, se non ad otium et delicias duci, sed ad laborem sibi congruum, qualis est potissimum, linum et lanam tractare, nere, filare. His enim dum diu multumque occupantur, otium vitant, et familiæ vestes parant, et honestatem castitatemque suam tuentur. Hinc laudatur sapiens illa mulier Proverb. XXXI. quia *quæsit lanam et linum.* Et paulo post: *Manum suam misit ad fortia, et digiti apprehenderunt fusum, quasi diceret: Hæc sunt fortia arma mulierum, ad otium vitandum et tuendam pudicitiam ac virtutem.* Quare etiam nobilissimæ quæque feminæ lanificio et linificio se occupare minime erubuerunt, uti Caia Cæcilia, Tarquinii Prisci Rom. regis uxor, apud Plin. lib. VIII. c. XLVIII. sorores Alexandri M. apud Curtium, l. V. filia et neptes Augusti imp. apud Trajannum; filia Caroli M. imp. apud Eginhardum.

VIII. Ducebatur cum accensis facibus, vespere, ingruentibus jam tenebris: quo nimirum aliis conspicuæ fierent. Faces Christianorum sponsalitiæ sunt facies Ecclesiæ, in qua contrahere debent, post Conc. Trid. quod clandestina matrimonia jure merito irritavit: quia ex illorum permissione multa incommoda fiebant, quibus legitimæ conjuges repudiabantur, et aliæ inducebantur, adeoque uxorum pluralitas invehabatur; et qui legitimi essent filii vel illegitimi, deprehendi non poterant.

IX. Præ foribus sponsi interrogabantur nubentes, quænam essent, et respondebant se esse Caias, hoc est, bonas matresfamilias, qualis fuit Caia, ut dixi. Hoc ergo quærendum in sponso ac sponsa ut sint virtute præditi: non forma fugax, non divitiæ imperiosæ. Unde S. Ambrosius, lib. I. de Abraham, c. XII. ait: *Quasi suavitatem quærit conjugii, non superiorem censu ambiat, non monilibus ornatum, sed moribus.* Ut enim speculum non illud bonum existimamus, quod auro gemmisque nitens sit, sed quod tersum est et pellucidum, nihil depressi et prominentis in se continens, sic uxor non auro gemmisque, sed quæ virtute præfulgeat, optima censenda est, ut ait Plut. Par ratio est de sponso. Unde eodem Plut. teste, q. XXX. sponsa interroganti sponso respondebat: *Ubi tu Caius ego Caia.*

X. Postes annæ in domo sponsi oleo vel

adipe ungi et oblini consueverant, *rum.* lib. XXIX. c. II. Quid hæc unctio nisi amor est? Unge cardines januæ, et facile movebitur, nec stridorem edet. Ubi amor, ibi omnia facile et sine murmure fiunt. Tres amoris, seu Charites finxit antiquitas, quas nuptiis interesse debere contendit Plutarchus, apud Stob. et tum demum eas felices fore. Aliqui amorem præmittunt nuptiis, sed mox remittunt; his una Charis adfuit. Alii post nuptias sensim intepescunt, et hi alteram habent. Denique alii constanter amant, et hi tertiam quoque possident. Huc referri potest quod Prov. XVIII. dicitur: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, Septuaginta vertunt, Charites.* Porro ad hoc requiritur, ut virtus in conjugio ametur, non fugax pulchritudo aut divitiæ.

XI. Peracta unctione sponsa limen transliebat, vel sublata transportabatur, teste Plutarch. quæst. XXIX. et hoc ex superstitione, qua limen sacrum reputabant, vel ad hoc edocti a natura; lepores enim et ursi saltu intrant in cubilia sua, ne ex vestigiis deprehensi, venatorum insidias patiantur. Sic ergo intrent cubile suum ambo contrahentes, ut nulli extraneo accessum ad suum thorum patefaciant vel ulla occasione aperiant, portas sensuum suorum erga alios omnes clausas habeant. Ita demum intrent, quasi viam ad exeundum nesciant.

XII. Ingressa domum nupta claves a viro accipiebat, ut rerum omnium domesticorum, quæ clavibus concludi solent, curam ac custodiam, tutam denique domum ac rei familiaris administrationem dispensationemque sibi permitti intellexeret. Cum enim inter eos communio sit corporum, cur non magis facultatum temporalium.

XIII. In pelle lanata statuebatur, sive ob lanificium, ut jam dixi: sive ut norit maritus uxori

sua esse parcendum, eamque sublevandam, ac velut vas fragilius a gravioribus oneribus examinendam, blanditiis fovendam. Hinc eam mandavit Deus non arandum in bove et asino, Deut. XXII. ob virium imparitatem. Num de bove et asino Deo cura? De conjugibus ergo intelligenda lex videtur.

XIV. Aqua et igni excipiebatur, teste Plutarch. quæst. I. Primo, ut sciret sibi cum viro suo vivendum, tametsi præter aquam et ignem nihil suppeteret, vel licet aqua et igni interdicerentur, adeoque in exilium pellerentur, quæ erat pena Rom. civium capitalis. Mirum hujus fidelitatis præbuit exemplum Herodias illa, cæteroqui impia femina; cum enim Caius imp. Herodem Lugdunum Gallia ad perpetuum exilium condemnasset, ejus Herodiadi in Agrippæ fratris gratiam se illi parsurum promisit. At illa ad hæc: « Tu quidem imperator, ut tua majestate dignum est loqueris, sed mihi conjugalis amor impedimento est, quominus fruar hac indulgentia: non enim æquum censeo, ut cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in adversa deseram; » sicque una cum Herode perrexit in exilium, Joseph. l. XVIII. antiq. cap. IX.

XV. Denique, nuces jaciebantur et spargebantur pueris, ut se puerilibus omnibus ludis renuntiare, et juvenilia cuncta ludicra relinquere testarentur novi conjuges, Virgil. ecloga IX. Plin. lib. XV. c. XXII.

Aquam vidimus gentilium cæremoniarum in celebrandis nuptiis, sed et rationem convertendi eam in vinum et doctrinam salutarem ac christianam. Ergo aqua illa spernenda, vinum hibendum est, quod fiet, si observent christiani conjuges, quod illis per gentilium ritus demonstratum est.

## DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. MATTH., VIII.

In illo tempore: Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum dicens: Volo mundare. Et contestim mundata est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, ne cui dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade et vadit; et alii: Veni et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Jesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

### CONCIONES.

- |   |   |
|---|---|
| I. Quales esse debeant servi erga dominos, et domini erga servos. | IX. Præscripta militum.                         |
| II. Voluntatem nostram cum divina conformandam.                   | X. Documenta.                                   |
| III. Confessionis necessitas ostenditur.                          | XI. Mystera.                                    |
| IV. Satisfactionem cur requirat Deus.                             | CONCIONES AUCTARII.                             |
| V. Satisfactio quomodo facienda.                                  | I. Servorum et dominorum mutua vices.           |
| VI. Quomodo in inferno cruciandi quinque sensus.                  | II. Potens oratio centurionis.                  |
| VII. Quomodo in inferno torquenda vires animæ.                    | III. Unde fletus in inferno.                    |
| VIII. Præscripta ducum militarium.                                | IV. Stridor dentium quid sibi velit in inferno. |
|   | V. Vanæ gloriæ damna.                           |

### CONCIO I.

QVALES ESSE DEBEANT SERVI ERGA DOMINOS,  
ET DOMINI ERGA SERVOS.

- I. Heri sint servorum patres, et servi sint quasi filii.  
— II. Heri sint servorum præceptores, et servi sint discipuli. — III. Heri sint servorum tutores, et servi sint veri servi.

#### THEMA.

Dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Matth. VIII.

Sanctus Augustinus, lib. XIII. de civitate Dei,

cap. III. scribit, histrionem quemdam in foro theatrum conscendisse, et confluyente ad eum frequenti populo dixisse, se scire, quid omnes isti velint et optent, qui ad forum confluxerunt. Quibus omnibus suspensis et silentibus: Hæc, inquit, omnium vestrum mens est. Vultis caro vendere, et vili vultis emere. Si hoc loco mihi histrionem istum imitari liceret, facile divinarem, quid vos etiam auditores hoc potissimum tempore, velitis et optetis. Præ foribus sunt dies, quibus heri novos sibi famulos, famuli novos heros quærent et adsciscunt. Dicamne igitur, quid